

**De Juvenalis
codicum
recensione
interpolata**

Carl Hosius

Sci 13.433



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received *21 Sept., 1891.*

DE
IUVENALIS CODICVM
 RECENSIONE INTERPOLATA

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS
 IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS
 AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA
 GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM
 ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS
 CONTROVERSIIS DIE XXVII MENSIS FEBRVARI
 ANNI MDCCCLXXXVIII HORA XII PVBLICE
 DEFENDET SCRIPTOR

CAROLVS HOSIVS
 RHENANVS


ADVERSARIJ ERVNT
 ERNESTVS MVELLENBACH DR. PHIL.
 AVGVSTVS OXÉ CAND. PHIL.
 ALBRECHTVS DIETERICH SEM. REG. SEN.

2
 BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXVIII

Loi 13.433



Constantius fund.

FRANCISCO BVECHELER
EDVARDO LVEBBERT
HERMANNO VSENER

Postquam de Pithocani codicis ad restituendam veram Iuvenalis imaginem pretiosissimi lectionibus primum et maxima ex parte a. 1885 Beerii libello, qui inscribitur 'spicilegium Iuvenalianum', tum sequenti anno nova saturarum editione a Fr. Buechelero perfecta edocti sumus, e re videbatur etiam qualis esset recensio, quae in ceteris illius scriptoris codicibus invenitur, accuratius pervestigare atque perscrutari. Ac ne desideraretur fundamentum, quo nitermur, libros aliquot huius classis interpolatae maximeque tres illos subscriptionibus instructos Lugdunensem Bat. bibl. publ. no. 82, Laurentianum plut. XXXIV 42, Parisinum no. 9345 excutere opus erat. Itaque rogante Buechelero a bibliothecariis Monacensibus et Lugdunensibus comiter Bonnam missi sunt Iuvenalis libri manuscripti hi:

cod. Monac. no. 6292 (Frising. no. 92) saec. X—XI, cui fol. 98—113 inest florilegium ex omnibus Iuvenalis saturis compositum, cod. Monac. 408 saec. XI, cod. Monac. no. 23475 saec. XII, cod. Lugdun. bibl. publ. no. 82 saec. XI, cod. Vossianus no. 18 saec. X, cod. Vossianus no. 64 saec. XI¹. Quas membranas ipse contuli. Accessit florilegium ex codice Coloniensi ecclesiae cathedralis CXCIV (fol. 155v. sqq.) saec. XI a Guil. Schmitz, viro clarissimo, mihi liberalissime descriptum. Praeterea contulit meum in usum Dr. J. A. Heikel Helsingforsensis, sodalis coniunc-

¹ cod. Monac. 408 et Leid. 82 continent omnes saturas; Voss. 18 omnes praeter sat. XIII, 169—224; Voss. 64 praeter sat. XI—XIII, 123; cod. Monac. 23475 omissis sat. VI, 269—302, VIII, 1—63, X, 9—70 desinit XI, 152.

tissimus, codicem Parisinum no. 9345 saec. XI, addiditque florilegia ex codd. Paris. 7646 et 17903 descripta Dr. C. Wotke amicissimus. Denique mihi contigit, ut intercedente benevole Henrico Rostagno certior fierem de ducentis fere locis Laurentiani plut. XXXIV 42 saec. XI.

Itaque iam praebeo collationem illorum codicum, quam ad editionem Hermannianam (Lipsiae 1883) feci, sed tamen ita, ut ubi illa editio discrepat a Buecheleri, adscripserim lectiones librorum, etiamsi concinunt eum verbis, quae in contextu Hermanniano leguntur. Sed ne congerie lectionum libellus hic in ampliorem molem excrescat, gravissimas tantum et alicuius momenti discrepantias hic affero¹. Siglis utor praeter ea, quae Jahn adhibuit, his:

A = cod. Monac. 408 saec. XI.

M = cod. Monac. 23475 saec. XII.

H = cod. Paris. 9345 saec. XI.

L = cod. Leid. bibl. publ. 82 saec. XI.

¹ Ex florilegiis hic illas tantum mutationes protuli, quae ad iudicanda ea necessariae erant; de reliquis et omnino de eorum natura infra prolixius disputabo. Praeterea in omnibus libris omisi plurimas commutationes orthographicas, ut sollemnes confusiones litterarum *e*, *ae*, *oe*; *r* et *b*; *y*, *u* et *i*; *f* et *ph*, *c* et *g*, *d* et *t* (*adque*, *aput*, *atiuare*, *haut*, *inquid*), *m* et *n* (*unquam*, *tanquam*, *quocunque*, *menbrum*), tum tales scripturas quales sunt: *dampnare*, *contempnere*, *sumtis*; *exorbes*, *expectare*, *extinctus*; *optima*, *puplica*, *suplimior*; *archana chilindros*, *conchilia choa*, *nichil*, *thusca*, *honus*; *aduc*, *annibal*, *aruspez*, *asta*, *caldeis*, *erba*; *adfectare*, *adattendit*, *commendare*, *conrosis*, *submitte*; deinde geminationes perverse vel praeter solitum usurpatas aut omissas: *flamarum*, *iuserit*, *molis*, *ocursu*, *uenise*; *aedifficare*, *asspice*, *littore*; interdum litteras negligentia librarii omissas: *posquam*, *quiquid*, *necit* (pro *nescit*), *consupta*, *seper*; hic illic emendationes manus primae vel alterius manifesto rectas, ut I, 47 *pro-střantantis* L; II, 95 *scutare* H; III, 61 *ahei* A; 172 *řagam* L; 173 *herbosq* H; denique litteras syllabas verba primo ommissa, dein a manu prima superscripta.

V = cod. Voss. 18 s. X.

B = cod. Voss. 64 s. XI.

O = consensus codicum AMHLVB¹.

R (apud Jahnum a) = cod. Laurent. plut. XXXIV 42.

F = floril. cod. Monac. 6292 (Fris. 92) s. X—XI.

C = floril. cod. Colon. CXCIV s. XI.

D = floril. cod. Paris. 7646 s. XII.

E = floril. cod. Paris. 17903 s. XIII.

a m h l v b r f c = manus altera codicum A M H L V

B R F C.

||| s. ≡ indicat rasuram unius litterae.

Lectiones variae.

INCIPIT IVVENALIS LIB. I A INCIPIT PMS
 LIBER IVUENALIS SAT (quod sequitur, non satis cognoscitur) M INCIPIT LIBER IUUENALIS L IUNII
 IUUENALIS SATYRARVM LIB PRIM INCIP B IV-
 VENALIS FC Iuuenalis in primo DE incipit liber
 satirarū iunii decim iuuenalis primus H Nulla inscri-
 ptio in V

2 codri O (chodri L); totiens O (sic aut tociens fere

¹ VI, 269—302, VIII, 1—63, X, 9—70 O significat consensum codicum AHLB; XI, 1—152 codicum MAHLV; XI, 153—XIII, 123 codicum AHLV etc. Ad depingendam librorum effigiem haec sufficient: Omnes membranacei litteris minusculis exarati, initialibus maiusculis, sicut et inscriptiones et subscriptiones sunt, plerumque minio pictis. Omnes praeter FDE scholiis glossisque instructi; abbreviationes, quas perraro reddidi, non ita multae eaeque sibi constantes; scriptura plerumque pulchra, praecipue in F; manus altera plerumque pallidiore atramento distincta, qua et scholia glossaeque scripta sunt, eidem librario adsignanda videtur. Litterae et verba superscripta, nisi postposito (1) adnotatum est ea esse a manu prima, semper hac manu exarata sunt. Interdum etiam tertia manus eaque novissima (3) cognoscitur.

semper, item quotiens) 5 thelaphus A thelepus^h H thele-
 phus B 7 domus nulli magis A 8 ruribus M 11
 monichus AM monicus VB minicus^o H monic^o≡us L 13
 et^{ego} H et (*t in ras.*) B ego & (*sic*) V 14 ea||dem H 16 syl-
 lae dedimus AL(syll^c)^c* syllae HVBM 18 ignoscere L
 19 libeat potius L 20 arunce M 21 et BAVLH *eras.*
in M 22 cum O (*semper*) 24—25 *om.* HVBR 25,
 26, 24 *ordo versuum in* M 26 niliaciae H; canobi B,
corr. b 27 Scripinus H; ticias VB, *corr.* b 30 scri-
 pere M 35 massa^r M 36 thimile AML tymele VB ty-
 mele H (*e prior ex i*) 37 summa^oueant H 38 optima
 A optima^p H 43 &^{ut} nudis A; prestit^{psit} M qui pressit L
 44 aut ut L; luctunensem M; rethor MAHV retor B retor L
 45 ieqnor M 47 at OR 49 diis (*fere semper*) O 51
om. M, *superscr.* m 52 ante 51 L, *sed v.* 52 *iterum in-*
trusus a manu altera inter v. 51 et 53. (*herculeiasne*)
 52 magis *superscr.* M; herculeias OR 53 nugitum^m H; la-
 borinthi AMLH labor. VB 54 f||abrūque L 58 putat
 A 61 flammineam M flamminiā A; auttomedon M au-
 thom. HVB aut th. L 62 dum A 64 Quadruiio O
 68 fecerit HVB -rat AML 71 locusta AMLB 73 Saude
 H; breuius^b H 74 al=get L 76 captum^{caprum} H 83
 animas LH (*s postea add.*) 85 Quicquid O (*semper*)
 86 nostri est farrago libelli MLVBRH 88 *om.* EV, *add.* v
 95 tuncⁿ H 96 Limine (*e in ras.*) V Limina^c B 98 et
 HLVBM 99 accipias AH -piés F 100 et illi L 102
 inquit L inquit (*t ex d*) V; assum AHB 106 Quadra-
 ginta H -drigenta V; purpuraⁿ||maior^{alli purpuramaius} L purprmaior^{ua} A pur-

* Verbum unciis seclusum postpositum ad solum codicem antecedentem referendum est, praepositum ad omnes sequentes.

pur||a maior (aior *in ras.*) B purpurae amator HV (*m. 2:*
 purpura) 108 Eductas A; possedeo B 109 liciniis
 VBH (*post corr.*); expectant V 110 nec AMLVF nē HB
 111 uenerat qui pedibus L; albus B 114 habitas O
 (-ta||s M) 119 faciant MFR; hic A 121 Quadrantris
 M 122 pr(a)egnans O (*fere semper*) 124 clusam VB;
 p̄ (= prae) A 126 quiescit OR 130 aut M aut L;
 arabarces L 131 effigem M effi||giem B; nr̄gere M
 meire B 134 caules ODE 136 uacuisque (a *ex o*)
 H uacu||isq; V 139 feret M 142 tantū M 143
 erudus H 145 It AML 148 ea||dem (*sub ras. n*) H;
 cupiuntque L cupient facientque HVBF 152 liber||tas
 (as *a manu alt.*) M 154 ignoscit (i *alt. ex a*) H 155
 tigillinum AMVB (-mum *a m. 1*) tygill. L; lucebit VB
 -bit H 156 pectore M gutture HVBL 157 deducit
 HVBM (e *ex i*) diducit A 158 uehetur AML ueheatu^{men}r B
 160 uenēt H 161 uerum OFDE 162 aeneam L; ru-
 tilumque L rutīl. M 163 nulli (i *ex a*) H 168 ira
 AML 169 animo AMLF animante tuba B animante tuba
 VII (tubas h) anim||ante tuba R; tubam L 171 flam-
 minea L flamminia AM flamin *in ras. H.*¹⁾

1) Quae restant collationes, propediem edentur.

De fonte codicum deteriorum.

Hos codices omnes pertinere ad recensionem deteriorem primo obtutu cluere neque opus est fusius probare. Atqui videmus non raro libros omnes congruere cum Pithoeano locis¹⁾, quibus cum hominum doctissimorum consensu lectio tradita damnetur aut servari non possit, utramque recensionem concinere mirum est:

II, 92 *cotyton* (s. *cocytton*) 106 *bebriaci*(s) IV, 13 *serioque* 25 *squamae* 43 *torpentis* VI, 126 *ohi.* (167 *uenusianam*) 172 *depone* 527 *calidasque* 533 *lanigero* 554 *fronte* 656 *clitemestram* (*clyt.* P) VII, 130 *tongilli* (-*li* P) (151 *cum*) 177 *scindens* 235 *archemori* VIII, 62 *corithe* s. *corythe* (*coryte* P) 68 *primum* 148 *multo sufflamine* 223 *quid* 229 in omnibus codd. corruptus (IX, 109 *librarius*) X, 54 *aut pernicioso* 170 *gyare* s. *giare* 180 *chorum* 359 *labores*²⁾ XI, 55 *effugientem* (M) XIII, 107 *confirmant* 208 *sacua* XIV, 45 *hac* (*ac* P) 229 *conduplicari* XV, 7 *caeruleos* (*acruleos* P) 64 *scditione* XVI, 24 *caligatos* 56 *labor*.

Certe concedendum est magnam partem horum locorum iam in archetypo existere potuisse, unde et P et libri deteriores fluxerint. Sed hoc non ubique convenire evincitur eo, quod saepius manus altera et Pithoeani, quae ex membrana classis interpolatae correxit, et reliquorum codicum lectionem veram exhibent, ut VI, 527 p recte praebet

1) Hic de sola manu prima loquor.

2) vd. infra.

calidaque, XIII, 208 manus altera in L recte correxit *sola uoluntas*. XI, 55 autem et XVI, 24 teste Iahnio alii libri classis depravatae recte tradunt *et fugientem* et *caligas tot*. Adde quod scholia saepius scripturam integram explicant, ut VI, 554 in L scholiastes interpretatur quasi in contextu legatur *fonte*. Etiam versum VI, 126, quem omnes libri mei cum P omittunt, ab Iuvenale profectum esse pro certo habeo. Dictio enim *absorbuit ictus* sermoni illius aptissima est cfr. X, 223 *uiros exorbeat*; et quod fortasse quispiam opponat *resupina iacens* redolere scribam Ovidii¹⁾ gnarum, ipsa haec imitatio magis in nostram partem facit; nam quantopere Iuvenalis Ovidium imitatus sit, ex nonnullis exemplis cognoscas:

- Iuv. II, 120 *nova nupta mariti*
 Ov. her. XIII, 139 *nova nupta marito*
 IV, 74 sq *in quorum facie . . . sedebat*
 pallor
 met. II, 775 *pallor in ore sedet*
 V, 61 *sed forma sed actas*
 met. III, 455 *nec forma nec actas*
 V, 107 *praebat aurem*
 met. VII, 821 *praebuit aurem*
 VI, 306 *i nunc et dubita*
 ars II, 222 *i nunc et dubita*
 VII, 100 *millesima pagina surgit*
 am. I, 1, 17 *surrexit-noua pagina*
 X, 201 *natisque sibique*
 met. IX, 770 *nataeque sibique*
 X, 297 sq. *rara est adeo concordia formae*
 atque pudicitiae
 her. XVI, 288 *lis est cum forma*
 magna pudicitiae
 XI, 130 *qui me sibi comparet*

1) met. IV, 121 V, 84 XII, 324 cfr. et anthol. 253, 123 R.

am. I, 8, 33 *quae te sibi comparet*
 XIV, 69 *sine labe domum*
 trist. II, 110 *sine labe domus*
 XIV, 112 *rerum tutela suarum*
 trist. V, 14, 15 *rerum-tutela mearum*
 XIV, 214 *ut pelea uicit achilles*
 met. XV, 856 *sic pelea uincit achilles*
 XIV, 218 *uendct periuria*
 am. I, 10, 37 *uendunt periuria*

Versus iste eiectus est a monacho ob obscaenitatem, ut etiam VI, 238 in nonnullis libris non legi affirmat Probus Vallae.

Statuendum ergo est codices nostros arte cum P cohaerere. Multo magis haec sententia confirmatur inspectis libris singulis. Itaque iam deinceps versus enumerabo, in quibus unus alterve codex refragantibus ceteris cum P consentit aut plures membranae idem atque ille vitium praebent, addito ipso verbo, si in mendo calami similitudo apparet, alioquin, ubi liber unus cum P rectum exhibet, ceteri corrupti sunt, solo numero.

Consentiunt¹⁾ P et A: I, 68 *fecerat*; 98, 156, 157 *diducit (ded. P)*; II, 80 *prurigine*, 97 *scutula*, 116, 140, 168; III, 82, 125, 156, 171 *qua²⁾*, 187 *libris*, 210 *est et frustra*, 227, 286, 311 *marra*, 319; IV, 4 (*spernatur*), 21, 41, 72; V, 15, 63, 70, 116; VI, 28, 81 *aut om.*, 103, 109, 153, 156, 183, 240, 247, 256 *cruoris³⁾*, 270, 274, 282 *possum*, 322, 328, 364, 373, 386, 429, 459, 490, 528, 539, 560, 569 *Nec*, 571 *dampno (-mnos P)*, 635; VII, 3, 25, 60 (*que et maesta*), 63, 106, 108, 120, 123, 146, 159, 217 *autem om.*, 219 *frangat*, 235; VIII, 17, 49, 61 *curus^s (cuius P)*, (66), 88, 91 *mandat*, 98, 133, 152, 159, 166,

1) De codicum FCDE lectionibus vd. postea.

2) cfr. Beer Spicil. Iuvenal. pg. 15.

3) cfr. l. l. pg. 27.

168 *scripta(que)*, 174, 198 *aut*, 201, 202, 203, 224, 256; IX, 6, 18, 46, 61 *catulis*, 63 *est* (et *ait*), 68, 82 *perfide auare*¹⁾, 89, 118, 119, 121, 122 *illos*, 132, 134a, 143/4, 149; X, 2, 5, 9, 21 (*umbra*), 30, 35, 47, 74, 81, 88, 92, 93, 97, 102, 114, 137 *hos*, 150 *altos* 155, 160, 173, 214, 220, 230, 272, 274, 304 *uiros*, 310, 322, 334 *ortis*, 339, 351, 354, 365 (*sed te in ras.*); XI, 3, 6 *ardenti sanguine*, 24, 30, 37, 38 *te om.*, 58, 62, 85, 100, 118, 132 *cauculus*, 146 *a om.*, 156, 165 *expectant*, 165/66 (recto loco) 166 (*narrare*), *aliquē* (*uē in ras. aliquid P*), 205 *quam quod*; XII, 1, 14 *a om.*, 17, 37 *catullis*, 38 *uolens om.*, 43 *dubitat*, 45 *polo*, (46), 47 *callidus* (*c in ras. pall. P*), 48, 59 *lautissima*, 62 *iacuit* (*ia in ras. tacuit P*), 73, 77 *currunt*, 81, 92 *operantur*, 104 *furua* (*r in ras. fulua P*), 110, 112 | 125 | 128 *pacubium*; XIII, 19, 65, 105, 131, 136, 142, 154, 158, 174, 210 *cognata*, 212; XIV, 11, 16, 62, 63, 92, 119, 131, 136 *aut*, 147, 153 *lupinam* (*-na P*), 158, 176, 184, 208, 217, 219, 232 *me|||tisque* (*merit. P*), 249, 293 *uc*, 296 *cadit*, 319 *sufficit*, 322; XV, 9, 18, 27, 44, 78 *in om.*, 88, 142, 154 *limite*, 166, 168; XVI, 21, 22, 35 *alia om.*, 43.

Consentiunt P et H: I, 106 *purpurae*, 110 (*nc*), 143 *crudus*, 155 *luccebit*, 157 *deducit*, 158; II, 107; III, 19 *uiridis*²⁾, 82, 125, 210 *frustra*, 224, 255; IV, 25, 85; V, 119, 128; VI, 240 (*Atque*), (266), 415 *exortata*, 635, 648 *rabie||*, 653; VII, 80, 87, 91, 105, 144, 154, 159, 175 *temptat*, (218), 235; VIII, (34), 37, 40, 44 *inquit*, 67, 72 *plerumque*, (78 *descenderet*), 90, 123 *relinquens* (*-qu... P*), 125, (155), 157, 221 *uirgilius*, 239, 253, 267 *ad*; IX, 15 *fructificante*, 26, 33, 132; X, 31 *cuius*, 153, 164, 327 (*et se in ras.*); XI, 24, 104 *iussae* (*s alt. in ras.*); XII, 1, 54 *Recidit*; XIII, 132, 208 *uoluptas*; XIV, 40 *geniti*^{|||} (*-tis P*),

1) vide infra pg. 11.

2) cfr. Beer l. l. pg. 15.

52 (*tibi* in ras.), 128 *frustra*, 149 *habeant*, 192, 319 *sufficit*; XV, 75 *fugae* (-at P).

Consentiunt P et L: I, 68 *fecerat*, 106 *purpura*||| (-rae P); II, 76 *deceat*, 80 *prurigine*, 93, 159; III, 125, 210 *frustra*, 214 *geminus*, 227, 319; IV, 96 *destinata* (*d* in ras.); VI, 120, 328, 565 (*haec tetrice*); VII, 69, 87, 100, 123, 124 (*libet*); VIII, 49, 133, 166; IX, 63 *es*= (*est P*)*ait*, 118 (*his* in ras.); X, 5 *concupis* (*eu* in ras.); 50 *uerbecum*, 78, 112, 173; XI, 6 *ardens*||| (*s ex t*), 38; XIII, 208 *uoluptas*; XIV, 119 *felices*, 128 *frusta* (*ex -ra*), 149 *habeant*, 198; XV, 65; XVI, 48 *illi*.

Consentiunt P et VB: I, 106 *purpurae*, 110 *ne* B, 155 *lucebit*, 157 *deducit*, 158; II, 97 *scutula* B, 107, 159; III, 187 *libris*; VI, 266 *gurgitis* B, 339 *testiculis* (*s* in ras.) V; VII, 146 *deducere* (*de* in ras.) V, 241; VIII, 44 *inquit*, 155 V, 183 *quod* B; IX, 8, 15 *fructificante*; X, 144 *atque*, 153, 162 *bythino* V, 166 *i om.* B, 202 *captori* B, 351 V; XI, 38 V, 49 *hostrea* V (-ria P), 62, 146 *porriget* (*e ex i*) V; XII, 54 *Recidit* V, 110, 112 *pacubium* V; XIII, 131 V (*dolorem*), 132 V, 158 V, 164 *qui* V, 208 *uoluptas* B; XIV, 91 *possides* V, 119 *felices* V, 149 *habeant*, 184 B, 208 B, 249 V; XVI, 22 B, 30 B, 48 *illi* V.

Consentiunt P et M: I, 68 *fecerat*, 133 *mⁱⁿgere*, 156, 157 *diducit*; II, 80 *prurigine*, 93; III, 58, 187 *libris*, 210 *frustra*, 214 *gemi*|||*us* (-nus P) 218, 246; IV, 127; V, 43 ||| (*et P*), 128 (*que* in ras.); VI, 18, 120, 146, 152, 537, 539, 560; VII, 40, 120, 241; VIII, 174, 224; IX, 46; X, 87, 137 *hos*, 272, 304 *uiros*; XI, 85 *carnem*.

Iam vidimus, quot in versibus congruant codices nostri cum Pithoeano; dubium autem non est, quin sint ex recensione corrupta. Quam rationem ut explicemus, duplex patet via: aut codices nostri postquam ex grammatici, ad quem referendam esse hanc recensionem sub-

scriptiones Laurentiani et Lugdunensis docent, exemplari manarunt, secundum P correcti sunt aut redeunt ad librum, cui descripto ex P interpolator aliquis lectiones deteriores obtrusit. Priorem nos sequi sententiam vetant menda calami, quae cum P communia exstant in libris meis aut universis¹⁾ aut singulis. Nam librarium quamvis stultum fugere non potuit, si codicem classis depravatae correxisset ex P, huius libri discrepantiam saepissime sola socordia scribae ortam esse, praesertim si qua in hoc verba omituntur. Ut exemplum afferam: VII, 217 si scriba codicis, ex quo A fluxit, recte ex codice deteriore descripsisset *minus est autem quam rhetoris aera*, deinde in P invenisset *autem* omissum, cogitari non potest illum in suo quoque contextu deleturum fuisse hoc *autem*, quo sublato versui pes deesset. Sed cum versum accurate ex P depictum ex alterius classis monumento librarius corrigeret, hoc loco nimis festinanti penna *autem* deesse non animadvertit. Et sic saepius. Quin etiam aliis locis librarium non fallebat versui deesse verba, itaque IX, 82 pro *nullum*, quod in P omissum recte praebent ceteri codices, scriba libri A non male adiecit *auare*.

Huic argumento si adiunxeris quod Beer acute explicavit²⁾ in nullo Iuvenalis libro manuscripto plus saturarum servatum esse, quam in Pithoeano post XVI, 60, qui versus novissimus ultimi quaternionis extremae paginae lineam ultimam expleat omissa subscriptione sollemni, aperte mutilato³⁾, nulli iam dubium fore puto, quin idem recte iudicaverit codices deteriores ex P manasse intercedente aliquo ponte, per quem lectiones interpolatae intruperint.

1) vide supra pg. 6.

2) l. l. pg. 47 sqq.

3) quod obici potest in archetypo iam exstitisse opus mancum. ipse refellit pg. 47.

Membranam hanc iam nono saeculo exaratam fuisse recte Beer definiuit; nam Pithoeanum tum non manum correctoris, id quod saec. X. factum est, expertum fuisse demonstratur lectionibus, quibus differunt libri a manu altera illius ut I, 156 *guttur* p — *pectore* PAM, II, 31 *ipsi* p — *ipsis* PO, III, 80 *achivis* p — *athenis* PO, VI, 52 *necte* p — *tende* PO, 527 *calidaque* p — *calidasque* PO, VII, 105 *est* p — om. PO, XV, 44 *horridi* p — *horrida* PO, etc.

Praeterea inveniuntur nonnullae Iuvenalis membranae classis corruptae saec. IX scriptae¹⁾.

Ille igitur liber, qui ex ipso Pithoeano descriptus est, primo veram Pithoeani imaginem effinxit, paulo autem post lectiones alterius classis invecatae sunt partim in ipsum textum erasa genuina scriptura partim superscriptae inducto tantum verbo germano²⁾. Sequentes autem scribae has lectiones prout cuique arridebant aut oculos tenebant, plus minus in textum receperunt.

Nono ergo saeculo exstiterunt exempla recensiois

1) cfr. Beer l. l. pg. 49.

Eidem saeculo attribuit W. Foerster (*Zeitschr. f. österr. Gymn. XXVII, 1876 pg. 258 sqq.*) partem codicis Paris. 7906, quae Iuvenalem spectat, ibique publici iuris fecit. Etiam hic liber permultis locis cum P conspirat, ut IV, 13, 85, 127, V, 10, VI, 109, 137, 479, 490, 553, VII, 25, 123, 139, 157 (*uelint*), 214, VIII, 7 non om., al.

Hoc ipso saeculo exemplar saturarum in Hispaniam secum portasse Eulogium me monuit Buecheler; cfr. Albarum Eulog. vit. 3, 9 (poetar. lat. medii aevi III, 1 p. 124): *Eulogius] in Pampilonensium territoria ultro progrediens monasterium sancti Zaccarie ingressus et aliorum cenobia ipsarum regionum . . . percurrens . . . inde secum librum civitatis beatissimi Augustini et Eneidos Vergilii sive Iuvenalis metricos itidem libros atque Oratii Flacci saturata poemata seu Porfirii depicta opuscula vel Adhelemi epigrammatum opera nec non Abieni fabule metricae . . . reportavit* (Cordubam anno 818).

2) VI, 635 ubi H exhibet: *et finem egressi et finem legemque* in archetypo nostrorum codd. dett. exstitisse videtur sic fere: *et ^{et finem (2)} finem egressi, legemque.*

interpolatae, quod ex duabus subscriptionibus elucet, certe duo, quibus totus ut videtur Iuvenalis continebatur, postea deperdita. Quaerat autem quispiam, cur librarius non versus, qui post XVI, 60 in illis inveniebantur, suo contextui adiecerit. Hoc qui factum sit quis hodie certo enucleare possit? Fortasse scriba illius codicis, ad quem nostri libri omnes redeunt, iam alius scriptoris veteris opus subiunxerat, ut Persii, qui in Vossiano 18 Iuvenalem excipit, vel vitam Iuvenalis, ut in AH, aut aliquid nugarum, quale monachi addere amant, aut in codice iam tegumentis ornato non satis spatii relictum erat, aut quod in sua membrana non invenerat scriba ex alio exemplari adscribere verebatur, aut alia omnia.

De Nicaeo et Epicarpio eorumque recensioibus.

In Laurentiano, quem signo R notavi, initio saturae VI invenitur haec inscriptio: INCIPIT LIBER II L. F. VRSEMO POSTVMO¹⁾ LEGI EGO NICEUS APUD M. SERBIUM ROME ET EMENDAUI. Eadem fere verba leguntur in L initio saturae VII in margine manu scholiorum exarata: Legi ego niceus rome apud seruium magistrum et emendauī.

Quod si quaerimus, cui tempori hunc Nicaeum adscribamus, fragmenta Vaticana, quae aperte recensioi illius cum longe plurimis omnium Iuuenalis codicum adnumeranda sunt, ostendunt non ultra saeculum quintum nobis progrediendum esse. Atque optime convenit, quod quarto et quinto saeculo Iuuenalis saturas manibus hominum valde tritas fuisse testimoniis grammaticorum aliorumque et imitatione scriptorum huius aevi pernoscimus²⁾.

1) In cod. Paris. 7906 legitur *ursedio postumo*.

2) cfr. Beer l. l. pg. 40. Exemplis quae ex Ausonio collegerunt Schenkl et Peiper, addas haec:

Aus. epigr. XXXV, 5 sq. Sch. *ast ego damnosae nolo otia
perdere Musae*

iacturam somni quae parit atque olei

Iuv. VII, 99/101 . . . *perit hic plus temporis atque olei plus
omnibus et crescit multa damnosa papyro*

Mosella 270 *sub fine trementes*

Iuv. VII, 241 *in fine trementes*

Aus. XIII, 2, 100 Sch.: *te consule fasces*

Juv. VIII, 23 *te consule virgas*

Aus. XVI, 2, 17 Sch. *dicendi torrens tibi copia*

Iuv. X, 9 *torrens dicendi copia*.

Sed in versibus apud grammaticos allatis paulo diutius versandum est. Omnes¹⁾ enim, quantum scio, viri docti, qui de his sententiam tulerunt, grammaticos usos esse deteriore codicum classe affirmant, quod num recte sit dictum, diligentius examinemus.

Respiciendi sunt in Iuvenale praecipue duo grammatici, Servius et Priscianus.

Consentiunt Servii lectiones cum recensione Pithoeana repugnante altera classe locis his: I, 2 *cordi*²⁾ III, 79 *in summa* 255 *serraco* (sic plurimi codd.) VII, 100 *nullo quippe modo* IX, 53 *tractat* X, 2 *dinoscere* XII, 1 *dulcior* 34 *testiculi* XIII, 4 *fallaci-urna* (ut videtur).

Huic consensui repugnare videntur sex loci, ubi Servius a P abhorret: III, 227 *diffunditur* VI, 120 *et* 166 *ferat* (sic ex libris meis L) XII, 14 *a* 77 *occurrunt* 92 *operatur*.

Sed quattuor locis III, 227, XII, 14, 77, 92, ubi P negligentia scribae deformatus sit, nihil probari nemo non videt, neque magis valent mutationes lenissimae *et* atque *ferat*. Itaque illi loci antea allati, imprimis III, 79, VII, 100, X, 2, XII, 1 gravissimo documento sunt, codicem, quem adhibuerit Servius, pertinuisse ad illam recensionem, cuius exemplar fausta fortuna in Pithoeano nobis servatum est.

Difficilior autem est apud Priscianum investigatio. Congruunt huius grammatici exempla cum P locis his: II, 93 *inctum* (II, 162, 13 K.) III, 319 *reddet* VII, 139 *fidimus eloquio* VIII, 225 *cantu* IX, 141 *pigneribus* X, 61 *strident* XI, 142 *caprae* XIV, 293 *piperisue* XVI, 2 *subeuntur*.

Deteriorum codicum lectiones auctoritate Prisciani

1) cfr. Jahn. *Ber. d. sächs. Ges.* III, 1851 pg. 360; edit. min. praef. pg. VII sq., cuius sententiam amplectuntur Teuffel hist. litt. § 331, 8, Beer l. l. pg. 40, alii.

2) sic ad Aen. X, 693; quod ad Aen. I (pg. 4 Th.) traditur *codri*, demonstrat, quam prona librariis fuerit mutatio. Servius utroque loco *cordi* legerat.

confirmantur locis his: I, 131 *meiere* II, 93 *tactum* (II, 259, 13) IV, 98 *gigantum* VI, 329 *dormitat* VIII, 187 *etiam* IX, 15 *fruticante* X, 150 *aliosque* 205 *coneris* XI, 41 *pecorum* XIV, 30 *moechos* 85 *gustauerit* 121 *hortantur-illam* 122 *viam pergant* 293 *coemptor*.

Etiam ex his exemplis tollenda sunt ut nullius momenti I, 131, VIII, 187, IX, 15, X, 205, XI, 41, ubi P corruptelis multifariam aspersus sensu caret, nec plus ponderis tribui velim versibus X, 150, XIV, 85, 121, 122. Sed II, 93, IV, 98, VI, 329, XIV, 30, 293 Nicaei recensionem sequi Priscianum negari nequit. Num putandum est duobus ac diversis exemplaribus usum esse Priscianum? Ac fortasse hanc sententiam sequemur. Nullam enim causam video, cur idem apud Iuvenalem factum esse infitiamur, quod in aliis scriptoribus accidisse grammatici verbis expressis probatur¹⁾. Atque in ipsis Iuvenalis exemplis vestigia recensionis duplicis reperiuntur: affertur enim II, 162, 13 (Iuv. II, 93) *fuligine tinctum*, quod P exhibet, sed II, 259, 13 *fuligine tactum*, quod ω tradunt. Sed sive huic sententiae adstipularis sive Priscianum hos locos ex diversis auctoribus transtulisse existimas, certe iudicium nunc ita faciendum est, ut Servium solius recensionis bonae testem adhibuisse, Priscianum et huius et alterius libros invenisse ac secutum esse dicamus.

Sed restant non pauci loci, ubi grammatici illi lectiones a nullo nostrorum codicum traditas praebent:

Servius: II, 161 *et* VI, 120 *nigro flauam* VI, 256 *tunicae* IX, 84 *titulis aspergere* X, 38 *aut* 112 *caede et sanguine* XII, 14 *a magno-magistro* XV, 168 *nescierant-excudere*.

Priscianus: III, 24 *deterit* 97 *et* om. 232 *illum* VI, 7 *non* 260 *pann. urit bombyc.* 350 *pedibus silicem* VII, 75 *non*

1) cfr. II, 394, 13 *inuenitur tamen in quibusdam codicibus* 527, 13 *in quibusdam codicibus*; similiter 535, 20; 540, 20; III, 162, 15; 163, 2; 320, 13.

IX, 2 *occurris* X, 152 *inposuit* XI, 164 *descendunt* (sic codd.) 198 *qua* 203 *combibet aestiuum contr. cut. s.* XIII, 48 *argu(e)bat* 177 *numquam* (II, 342, 23) XIV, 83 *leuauit* XV, 23 *sic uacuum cerebri* XVI, 2 *quod si*.

Plurimae quidem discrepantiae sunt mera menda calami aut mutationes leues, omnibus quicunque paululum in grammaticorum testimoniis versati sunt, bene notae¹⁾. Sed quomodo explicemus grauiore illas VI, 120, IX, 84, X, 112, XII, 14; X, 152, XI, 203, XV, 23?

Qua de re ne temere iudicarem, testimonia Prisciani accuratius intueri et diuersitates, quae inter illa et lectiones codicum intercederent, quantum possem, illustrare institui. Tanquam summam perscrutationis nonnulla grauissima²⁾ exempla hic afferre liceat³⁾:

II, 63, 16 *fultas-firma(o)* 275, 5 *uestigia-primordia* 280, 9 *arbitrantur-putarent* 314, 14 *regno-terra* 336, 10 *primacelsa* 357, 20 *nocte-curru* 358, 10 *syrtis-rupes* 392, 18 *precantium-obsecrantium* 398, 7 *tela-pila* 482, 21 *inopino-effreno* 499, 10 *terrarum-portarum* 501, 13 *non gratis moritur-uincitur haud gratis* 515, 15 *summisque-fessisque* 516, 23 *ipsa-orsa* 527, 24 *aetatem-pueritiam* 592, 20 *hostes-ignes* III, 11,

1) Confusio particularum paene trita est cfr. Prisc. II, 47, 14; 63, 15; 249, 11; 286, 9; 309, 21; 349, 23; al. nec minus frequenter verba transponuntur, ut Prisc. II, 91, 3; 147, 5; 181, 13 sq.; 296, 17; 469, 8; 571, 2.

2) Verba omittuntur saepius cum grammaticus eas tantum voces, quae sibi testimonio sint, e conexu exceptas afferat ut Prisc. II, 32, 13; 165, 20 sq.; 248, 12; 375, 24; 387, 6; 400, 14 al.; verba adduntur, ut Prisc. II, 306, 24; 450, 23; III, 74, 22; 255, 25; 316, 9; 327, 21; al. De aliis mutationibus vd. infra.

3) Priore loco posui Prisciani lectionem, altero scriptoris codicum omnium vel optimorum. Interdum unus alterve liber deterior cum Prisciano congruit; tamen illos locos addidi, ut plane perspiceretur, quantum distent a germano contextu testimonia illius. Omnia haec exempla ex sermone pedestri aut ex carminibus heroici deprompsi.

1 *nomen-locum* 52, 23 *teucro-troes* 188, 13 *uolat-it* 226, 10 *bonum-pulchrum* 236, 18 *dardanidum-teucrorum* 262, 13 *quiritis-iudices* 273, 18 *quaecunquē-quae sola* 303, 20 *portis-castris* 307, 15 *inimico-sclerato* 320, 1 *uirgo-uates*.

Servium non minore temeritate grassatum esse demonstrant exempla haec ex illius commentario ad Aeneidos librum I desumpta:

I, 2 *siculi-rutulī* 12 *italiam* (cfr. adnot. Thilonis) *-hesperiam* 92 *uxorem tuam pauitare aiunt-uxorem Philumenam pauitare . . . dixerunt* (Ter.) 102 *inanes-inertes* 123 *procre-scere-nascuntur* 232 *arcadici-parrhasio* 306 *exercere-agere, tum-mox* 356 *et uulnera dira tegentem -ac dira teg. supplicia* 486 *inermes-inertes* 726 versus Persii Iuvenali adscribitur¹⁾.

Facile cognoscimus plerumque synonyma substituta esse, praecipue verbis rarioribus magis usitata; non paucae autem mutationes eaeque gravissimae natae sunt memoria similium sive eiusdem sive alius scriptoris uocum ut *Prise*. II, 336, 10 *prima* ex Verg. Aen. III, 527; 592, 20 *hostes* ex Aen. II, 358 s. 527; III, 188, 13 *uolat* ex Aen. XII, 923 sq.; 236, 18 *dardanidum* ex Aen. VI, 65 (*dardaniac*); 303, 20 *portis* ex Aen. XI, 621; 307, 15 *inimico* ex Aen. XI, 720.

Itaque cum non habeamus, cur illos grammaticos aequae ac Fulgentium insimulemus, quod consulto ac fraudulenter mutarint, eos e memoria locos adscripsisse statuemus; neque nimis mirum est illos qui per magnum vitae spatium libros scriptorum uolvebant, memoriae aliquantum confisos esse. Quotiens autem memoria fallat, quis non in se ipse animadvertit? Ita facillime illae discrepantiae explicantur; ita intellegimus, qui factum sit, ut Priscianus saepe plures versus contaminaret, ut II, 306, 15; 329, 20; 540, 25; 545, 20 sq.; III, 32, 3; 34, 4 sq.; 288, 4 sq.; al.; aut sibi ipse

1) nisi ibi excidit Iuv. VI, 131 vel VIII, 35 cum nomine Persii.

adversaretur ut II, 92, 11 & III, 192, 18; II, 159, 7 & 365, 27 sq.; 227, 13 & 266, 12; 275, 5 & III, 493, 15; II, 315, 17 & 350, 14; 427, 23 & 434, 25; III, 16, 9 & 189, 4; 34, 2 & 115, 14; 100, 1 & 503, 9; 148, 11 & 231, 13; 150, 28 & 153, 1; 189, 8 & 260, 5¹⁾; 333, 9 & 338, 25; al.

Tali modo etiam in Iuvenalis exemplis mutationes explicantur: IX, 84 *titulis actorum* ex Ov. art. am. II, 625 *titulos inponimus actis*; X, 112 *sine caede et sanguine* ex Ov. met. XV, 82 *sine caede et sanguine*; X, 152 *imposuit natura* ex Verg. g. I, 61 *imposuit natura*; XI, 203 *combibet aestivum contracta cuticula solem*²⁾ ex Verg. g. IV, 28 *aestivum solem* et Mart. X, 12, 7 . . . *auda cute combibe soles* XV, 23 *uacuum cerebri* ex XIV, 57 *uacuumque cerebro*; VI, 120 (*nigro flauum*) Servius legit, quod cupiebat. XII, 14 *magno pro grandi* mutatio est non mira; *magister* et *minister* saepius permutantur. VI, 256 *tunicae* fortasse non mendum calami est, sed natum ex simillima descriptione apud Livium IX, 40: *sinistrum crus ocrea tectum galeae cristatae . . . tunicae auratis militibus uersicolores*.

De reliquorum grammaticorum vel scholiastarum testimoniis non ita multis neque ad artem criticam factitandam idoneis loqui supersedeo, cum de aetate eorum plerumque parum constet nec multum³⁾ nostrae investigationi prosint. Itaque a deverticulo, quod quidem non ingratum fore spero, redeamus, unde degressi sumus.

1) Cum totum enuntiatum Priscianus afferret haberetque coniunctivus, unde penderet, coniunctivus scriptus legitur; ubi uerbum regens deest, indicativus. Similiter II, 286, 23 (Iuv. IX, 2) *occurris* et 160, 13 (Iuv. XI, 164) *descendant*.

2) cfr. et Claud. III, 185 *Hinc bibat aestivum* — Nilum VIII, 552 sq. *solem Combibit*.

3) III, 39 *summa ad fastigia rerum* (schol. Luc. VI, 7) originem traxit ex Verg. Aen. I, 342 *summa sequar fast. rerum* vel ex Aen. II, 758 *summa ad fast. uento*.

Licet modo cognoverimus Servium lectiones recensio-
nis interpolatae non accepisse, tamen nihil prohibet, quo-
minus hunc eundem, cuius nomen in subscriptione illa
reperitur, esse ducamus. Nam et hic, sicut ille, apud
Acronem ad Hor. sat. I, 9, 76 itidemque in Parisino 7530¹⁾
magister vocatur neque obstat tempus aut locus; quamquam
pro certo hoc affirmare non audeo. Servii loci quod ab
illa recensione abhorrent, non est cur offendas. Nam cum
Nicaeus discipulus illius esse videatur, commentarium ad
Vergilium iam antea conscripsisse Servium arbitrari nihil
vetat. Praeterea ille grammaticus illustris maiore prudentia
ac meliore iudicio praeditus mutationes saepe stultissimas
certe non probavit.

Perquirenti mihi, num fortasse tempus recensio-
nis accuratius ex imitatione scriptorum exeuntis saeculi quarti
erui posset, tantum in Claudiani carminibus pauci hi loci
obviam se tulerunt:

XVIII, 280 *inguinis et reliquum phrygiis abscindere cultris*
Iuv. II, 115 sq.: *phrygio quos tempus erat iam*
more superuacuum cultris abscindere (s. abscidere) *carnem*
XVIII, 229 *iamque oblita sui*

Iuv. VII, 100 *namque (iamque v) oblita modi*

de nupt. Hon. et Mar. 35 (exeunte versu) *principe natus*

Iuv. VIII, 198 (exeunte versu) *principe natus*

V, 343 *reduces post proelia turmas*

Iuv. XII, 110 *cuntem in proelia turmam*²⁾.

His locis Claudianus si Iuvenalem imitando exprimit,
id quod mihi videtur, ante annum 400 recensio facta est,
quod optime ad aevum Servii convenit; quamquam non
aegre feram, si quis illos versus non sufficere contendat.

1) GLK IV, 448, 17, cfr. et 487, 22; 496, 26; Thilo ed. Serv.
praef. pg. LXIX adn. 1.

2) sic A; *turbam* HVLR prona mutatione librarii, cui in L
scholion repugnat (*turma est, ubi triginta homines sunt*).

Nam plures locos, quibus sententiam fulcirem, neque apud Claudianum¹⁾ neque apud alios scriptores huius aetatis inveni²⁾.

Duo, quod adhuc sciamus, codices Nicaci subscriptionem ferunt, Laurentianus et Lugdunensis. Quorum si lectiones inter se conferimus, vel in mea collatione, quae non omnes lectiones libri R praebeat, persaepe illos dissentire³⁾ videmus:

1) Aliae similitudines: X, 203 *necte coronas* cfr. Iuv. VI, 51; XVIII, 60 *permutatque domos* = Iuv. VI, 225; VIII, 314 *rupes Caprearum* cfr. Iuv. X, 93; VII, 3 *imitata gabinos* cfr. Iuv. X, 299; de rapt. Pros. I, 147 *opposuit natura* = Iuv. X, 152; carm. min. VIII (LXXVI), 1 *penitus cognoscere* = Iuv. VI, 474; cfr. et Birt, *Zwei politische Satiren des alten Rom.* Marburg 1888. pg. 52 sqq.

2) Immo sequenti saeculo Sidonius Apollinaris ep. IX, 13 *manus uncta succo amomi* Pithoeani scripturam respicere videtur VIII, 159 *unctus amomo* (*sucus amomi* apud Ov. met. XV, 394), quamquam hoc nimirum contra aetatem superiorem alterius recensionis nil facit. Alii loci, ubi Sidonius Iuvenalem imitatur, nullius pretii nobis sunt. Bis cum affert ep. VIII, 9 *satur est cum dicit Horatius euhoe* = Iuv. VII, 62, et, quod Iahnium praeteriit, ep. VIII, 16 *iam tempus est ut satiricus ait Orestem nostrum uel super terga finire* cfr. Iuv. I, 6. Imitatur eum ep. I, 2 *ita ut nullus conuiuia mordacis linguae felle feriatur* cfr. Iuv. IX, 10; ep. II, 10 (initio) *propter quam nos quoque subduximus ferulae manum* cfr. Iuv. I, 15; ep. II, 13 *spumarent falerno gemmae capaces* cfr. Iuv. VI, 303; ep. IV, 13 *quippe post tergum cum iam duodecim lustra transmittat* cfr. Iuv. XIII, 16 sq.; ep. VII, 17 *natus ad Euphraten* = Iuv. I, 104; ep. IX, 9 (in fine) *quandoquidem tuos annos iam dextra numerauerit* cfr. Iuv. X, 249; carm. II, 530 sq. *si ruperit Alpes Poenus* cfr. Iuv. X, 153; carm. V, 430 *uncta Tarentus* cfr. Iuv. VI, 297 et VIII, 113; carm. VII, 107 sq. *Galbam sternis Otho speculo qui pulcher haberi dum captus* cfr. Iuv. II, 99.

3) Congruunt circa 150 locis, quorum numerus augetur c. 50 aliis adhibita Iahnii collatione, cui ubique fidem habere me vetat collatio nova, qua edoctus sum VI, 213 *legi nolit 479 flagellis* VII, 120 *afrosum 124 petet* VIII, 203 *frontem* XIII, 142 *utilis populus*.

I, 24/25 om. R 119 *faciant* R-*facient* L. 168 *irae-ira* II, 93 *tactum-tinctum* III, 125 *numquam-nusquam* IV, 96 *destinata-d* in ras. V, 83 *sublata-porrocta* V, 116 *radentur-raduntur* VI, 46 *nimiam-mediam* 240 *aut-atque* 280 *hic-dic* 322 *fructum frictum* 357 *domi sed-domi est sed* 365 *sibi-sua* 399 *possit quae-quae posset* 401 *siccisque-strictisque* 468 *illo-illo tunc* 557 *est horum-horum hic est* 585 *dabit-feret* 643 *tragicis-magicis* VII, 3 *noti-multi* 100 *namque oblita modinullo quippe modo* 120 *afrorum-asyorum* 124 *petet-libet* 156 *e parte-parte* 165 *quid-quod* VIII, 49 *gente plebe* 90 *exucta-exusta* 133 *pingas-ponas* X, 153 *rumpit-rupit* 173 *hominis-hominum* 189 *recto uultu solum-altus caelumque tuens* XI, 178 *faciunt-faciant* 195 *praeda-praedo* XIV, 293 *coempti-coemptor* XV, 75 *praestantibus omnibus instans-praestant instantibus orbis*¹⁾.

In his exemplis cum praeter V, 116, VI, 322, 585, VII, 124, 156 alter liber cum P conspiret, uterque autem ex P manarit, certe eam esse lectionem Nicaei probabile est, quae a P abhorreat, ut I, 119 *faciant* 168 *ira* II, 93 *tactum* V, 83 *porrocta* etc., exceptis discrepantiis librarii socordia ortis et paucis locis, de quibus infra disseram²⁾.

Praeter Nicaei subscriptionem nuper aliam ex Parisino 9345 (H) protraxit O. Keller (in Fleckeiseni annalibus 1885 p. 576): decem iuuenalis explicit lib. secundus incipit lib. III legente aepicarpio scribentis exuperantio seruo.

Nomen Epicarpium neque apud scriptores, quantum scio, neque in titulis³⁾ invenitur; accuratius Exuperantios

1) Si Jahnum sequeris, adnumerandi sunt I, 88, II, 24, III, 37, 61, 187, 238, IV, 18, 78, 131, 141, 148, V, 83, 128, VI, 52, 120, 136, 147, 152, 222, 264, 392, 428, 459, 497, 501, 539, 601, VII, 12, 18, 83, 87, 123, 211a, VIII, 33, 37, 90, 199, 204, X, 211, 217, 322, XIII, 13, 18, 20, 87, 172, XIV, 44, 49, 121, 287, 288, XV, 163, 168.

2) vide pg. 27 sqq.

3) Epicarpia CIL I, 1039, V, 6694, IX, 67.

novimus, cuius nominis homines post Wernsdorf PLM V, 546 sqq. Bursian in editione Iulii Exuperantii pg. 4 collegit. Praeter hunc scriptorem, quem saec. IV—V vixisse verisimile est, ibi enumerantur S. Exuperantius episcopus Ravennas a. 386—418, S. Exuperantius episcopus Comensis mortuus c. a. 512; S. Exuperantius episcopus Cingulanus in Piceno; S. Exuperantia virgo Trecis in Gallia oriunda; Exuperantius, homo militaris, quem hortatur S. Hieronymus epist. 35, quae scripta est post a. 386. Praeterea Rutilius Namatianus carmine suo a. 416 composito commemorat Exuperantium Aemoriae praefectum, qui mortuus est a. 424. Denique in cod. Theod. lib. XIV tit. I § 4 exstat constitutio Honori data ad Exsuperantium (a. 404). His addatur, Exsuperantius, qui fuit eius (Eusebii) minister in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore' (Ambros. serm. LVI, 577c). In titulis¹⁾ reperitur Exuperantius, sacerdos Silvani (CIL VI, 377). Haec nomina quorum quidem tempus destinari potest, cuncta saec. IV. V. VI. tribuenda sunt. Itaque altera illa subscriptio in eodem fere tempore ponenda videtur, quo Nicaei. Quod si quaerimus, num alter alterius recensionem noverit an uterque solus nulla alterius opera adiutus munus corrigendi susceperit, facere non possumus, cum codex H, qui recensionem Epicarpianam repraesentat, cum L et R, qui Nicaei nomen prae se ferunt, sexcentis locis contra textum genuinum in P traditum concordet, quin alterius recensionem factam esse assumpta altera arbitremur. Ex verbis autem subscriptionis mihi quidem magis probabile fit Nicaeum, qui

1) Exsuperantianus CIL III, 1096, 1154 Exsuperans VIII, 7956 Exuperata II, 5081, IV, 126. Exuperius -ria III, 1753, 1968c (ex a. 320) 5412, 6292, (V, 6132), IX, 4851a, 5915, X, 4615. Exsuperius miles apud Amm. Marc. XXIV, 4, 23 (ex a. 363); rhetor Tolosae, praeceptor Dalmatii et Hannibaliani, qui a. 335 Caesares facti sunt, apud Auson. XVI, 18 Sch.; episcopus Tolosae apud Paulinum Nol. epist. XLVIII, presbyter ibid. ep. XII, 12.

apud Servium magistrum saturas legerit alius grammatici opera non abusum esse; quamobrem Epicarpium et Exuperantium Nicaeo aliquantulo inferiores putem. Hi igitur aut Nicaei exemplar, sive opus videbatur sive libebat, mutaverunt aut recensionis Pithoecanae testem ex alterius classis monumento correxerunt. Eodem ergo tunc hi modo egerunt, quo subscriptio illa notissima¹⁾ in prophetarum codice Claromontano testatur ex Originis exemplari fecisse Pamphilum Eusebiumque, ex his Apollinarium, aut quo Caesaris commentarios post Celsum recensuit Lupicinus aut Statilius Maximus Ciceronem emendavit, ad Tyronem et Laetanianum²⁾ etc.³⁾.

Hoc quod secundo loco posui, factum esse fortasse verba huius subscriptionis docent. Munus emendandi ita inter Epicarpium et Exuperantium distributum fuisse videtur, ut ille codicem Nicaei contra legeret³⁾, hic testem germani Iuvenalis ex eo emendaret.

Sed iam conantibus extricare, quas mutationes Nicaeo quas Epicarpio imputemus, maxima exoritur difficultas, quam ut superare possimus vereor. Nam temere atque praepropere iudicaret, si quis putaret Epicarpium locis,

1) cfr. Jos. Cozza, bibl. sacr. vet. fragm. p. XXXIV sq.

2) cfr. Jahn, *Ber. der sächs. Ges. der Wiss.* III, 1851 pg. 359, 329, 335, 354.

3) cfr. Jahn l. l. pg. 351 *contra legente Deuterio scholastico discipulo*; pg. 353 *conferente-magistro Felice*.

In subscriptione altera valde me offendit additamentum *seruo*. Nomen Exuperantii, per se sonus pleni, eadem aetate hominibus nobilibus, quales sunt episcopi et praefectus Aemoriae, et servis inditum esse ut credam a me impetrare nequeo. Contra Epicarpium, hominem nominis graeci, genere minus nobili fuisse putem. Itaque in subscriptione legi velim aut: *scribente exuperantio seruito* aut *scribentis exuperantii seruo*. Exuperantius, Romanus illustris, auxilio hominis docti usus (sicut Symmachus Macrobius, Mavortius magistrum Felicem adscivit cfr. Jahn l. l. pg. 347 et 353) textum Iuvenalis insertis alterius recensionis lectionibus, emendavit.

quibus H cum P contra LR consentiret, retinuisse verba Iuvenalis integra; ubi H cum LR contra P concineret, Nicaeum secutum esse; ubi H novas praeberet lectiones, coniecturas temptasse. Supra vidimus si L et R discrepant, eam esse agnoscendam Nicaei scripturam, quae non in P reperiatur. Nicaeum autem locis, ubi L et R cum P concordant, nihil mutasse nulla re probatur. Immo etiam his locis fieri potuit, ut illorum codicum librarii lectionem Pithoeani servarent, interpolatam neglegerent. Itaque ubi LR cum P congruunt, H dissentit, nusquam pro certo affirmare possumus Nicaeum germana verba servasse, Epicarpium mutasse; nec magis si H contra LR Pithoeani, ex quo ipse quoque manavit, lectionem tradit, Epicarpium genuina servasse inde colligemus; haec quoque ad scribae incuriam referre possumus. Atque re vera librariorum manus ita grassatas esse ascitis ceteris libris pernoscimus:

Duas distinguere licet codicum nostrorum familias. Artissime cohaerent libri V et B, qui paene nullo loco discordantes saepissime in mendis pennae consentiunt aut soli rectum praebent, ut III, 63 *lingua* 97 *intra* 103 *andromidem* 173 *teathro* 128 *impellit* 129 *dudum iubeat* (136 *dubites*) 139 *trepidam* superscr. 147 in marg. 185 *cluso* 210 *frusta* 271 *cadent*; in sat. IV, 10 *saguine* 31 *palatii* 78 *profecti hic optumus* 94 *alicius* 110 *sursurro* 113 *vetento* 115 *nostrum* 125 *magni* om. vel superscr. 141 *rutupinoque* etc. Itaque non dubito, quin ex eodem fonte¹⁾ fluxerint.

Simillimus accedit huic classi²⁾ Parisinus H, qui una

1) B ex V non descriptum esse probant versus, in quibus B cum P contra V congruit, ut XIV, 184, 208, XVI, 22, 30.

2) Huic classi etiam adnumerandi videntur codices Canterbrienses saeculi IX, ex quibus Iuvenalis saturam primam publici iuris fecit H. Schenkl in 'Wiener Studien' III p. 314, cfr. v. 24, 25, 61, 68, 88, 106, 109, 124, 148, 155, 157, 169. De alio codice, quem protulit J. Huemer (Wiener Studien, IX, 1887 p. 91 sq.), mihi non satis constat iudicium.

cum illis persaepe lectiones Pithoeani sive genuinas sive corruptas retinet aut eadem vitia exhibet atque illi, ut II, 24 om. 29 *tragico nuper* 44 *scatinia* 68 *polliucas* 80 *porrigine* 84 *domo* (93 *tactum*) 107 *facie* 118 *cantauerat* 151 *cumba* 152 *credunt pueri* etc.

Altera familia constat ex A et L, quibus adnumerandus est M, quamquam ille saeculo uno post exaratus nonnulla vestigia alterius classis fert. Quorum adfinitatem ut demonstrem, haec exempla sufficient: I, 11 *monichus* 16 *syllae dedimus* AL 36 *thimile* 68 *fecerat* 130 *aut* ML 145 *It* 148 *facient cupientque* (-*piuntque* L) 155 *lucebis* 158 *uehetur* 168 *ira* 169 *animo* 171 *flaminia* (-*ea* L) II, 24 non om. 29 *nuper tragico* 44 *scatinia* 80 *prurigine* 92 *battae* 107 *faciem* 118 *cantauerit* 151 *cymba* 152 *pueri credunt* al.

Quae cum ita sint, tamen non raro VB cum L novam i. e. Nicaei lectionem praebent Parisino cum P consentiente ut IV, 135 *tegulae (figuli= [fi in ras.] L)* V, 128 *sumitque* VIII, 40 *sanguine* al. nec secus saepe H una cum A abhorret a P, quem ceteri omnes secuntur: ut I, 99 *accipias* V, 96 *patitur* XIV, 245 *et late* (AHB) al. Unde concludendum erit locis, de quibus dubitavimus, non grammatico, sed librario adscribendum esse librorum cum P consensum. Adde quod interdum HLR Pithoeanum secuntur, ceteri novam scripturam exhibent. Ibi videlicet non tertius est ex inferis eliciendus interpolator, sed scribae codicum HLR classis depravatae lectionem non receperunt.

Denique si cui ne haec quidem argumenta satisfaciunt, exempla a Prisciano allata inspiciat: II, 93 *tactum* IV, 98 *gigantum* XIV, 85 *gustauerit* inveniuntur in H, sed XIV, 293 *coemptor* in L. Itaque aut ante Priscianum iam confusae sunt duae recensiones, quod nemini probari puto, aut sententia quam nos dedimus accipienda.

Iudicium igitur ex illis versibus constituendum esse videtur, ubi H nec cum P nec cum L aut R conspirat: V, 116 *tradentur* P — *raduntur* L — *radentur* HR 121

spectes P — *spectas* LR — *uideas* H VI, 320 *saufeia* P — *laufella* L — *laufera* H 322 *fluctum* P — *fructum* HR — *frictum* L 399 *possit quae* PR — *posset quae* H — *quae posset* L 429 *et loto terram* P — *terramque luto* H — *terram luto* LR 585 *dabunt* P — *dabit* R — *feret* HL VII, 3 *celebres notique* P — *noti celebresque* HR — *multi celebresque* L 124 *quantum licet* P — *quantum libet* L — *quantum petet* R — *quantum petit* H 156 *diuersae forte* P — *diuersae parte* HR — *diuersa parte* L X, 313 *Irati debet* P — *Irati debent* H — *Exigere irati debent* LR XV, 75 *praestantibus omnibus instans* R — — *instant* H — *praestant instantibus orbes* L. Sed qui his tandem locis aliquid certi de diversitate recensionum erui posse speraverat, iam cognovit, quam vana spes fuerit. Nam versus V, 116, VI, 322, 585, VII, 156 testantur-recensiones duas, si umquam magna dissimilitudo intercesserit, in codicibus nostris conglutinatas esse. Itaque quid Nicaeo, quid Epicarpio attribuamus nos discernere posse spes interim dimittenda est¹⁾.

Supra codices LAMHVB in duas familias distinxi, quarum una modo Pithoeanum sequitur altera Nicaeum²⁾ repraesentante, modo Nicaeum altera cum P concinente. Interpolatori autem semper illam lectionem vindicabimus, quae in classe a P abhorrente traditur, ut I, 158 *uehetur* 168 *ira* II, 107 *faciem* III, 130 *aut* V, 83 *porrecta* VI, 46 *mediam* etc. Meliore etiam causa scilicet illi tribuimus, quod a singulis libris utriusque classis exhibetur, ut V, 96 *patitur* HA VI, 643 *magicis* LMV XII, 1 *carior* LV 110 *bellique* HL etc.

Nimis autem lubricam iam aggredimur quaestionem, si singulorum codicum lectiones a P discrepantes contem-

1) Totam argumentationem non minus valere, si Epicarpus ante Nicaeum vixerit, quisvis tiro videt.

2) Hic et saepius nomine Nicaei brevitatis causa totam recensionem interpolatam nuncupo.

plamur, ubi summa cautione opus est, ne perperam grammatico tribuamus quod librarii est; nam scribae quoque, qui, ut verbis Hieronymi utar, scribunt non quod inveniunt, sed quod intellegunt, et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos, non raro ipsi mutationes invexerunt. Praetermittam hoc loco calami menda mutationesque non magni momenti, ut temporum modorumque aut verba transposita, graviore tantum discrepantias attingo.

Lectionum, quae in una tantum ex nostris membranis traduntur, Nicaei esse puto plurimas earum, quae teste Iahnio etiam in aliis libris leguntur¹⁾: II, 57 *cortice* IV, 98 *gigantum* V, 41 *amicos* VI, 401 *strictisque* 658 *sub aere* VII, 60 *saeua* X, 70 *indiciis* 153 *diduxit* 198 *labra* 341 *aures* XII, 3 *caedimus* XV, 61 *Sanaque iam* 106 *uescantur*.

Restant in L (sive l): I, 18 *ignoscere* III, 228 *amator* IV, 64 *excussi* 137 *uentrem* 141 *ponto* VI, 44 *periturum* 198 *et dicas* 365 *repeto* 408 *famamque* 413 *hoc* 446 *tunicam* 449 *rotatum* 455 *sacra* VIII, 195 *hinc* X, 189 *altus caelumque tuens* 198 *uerba* 269 *caput* 359 *dolores* XII, 64 *meliore* 107 *seruire* XIV, 73 *tuncque quibusque* 229 *fraudem* XVI, 10 *offendere* 38 *sacro*.

in A (sive a): VI, 603 *delata* VII, 5 *cum* 101 *multo* VIII, 89 *et miserere* 246 *iussus* IX, 47 *cenaque* 82 *perfide auare* 148 *fortunam uocatur* 150 *nudo* X, 127 *iam mirantur* 199 *constantia* XI, 93 *seria sibi* XII, 99 *orbis* XIII, 130 *et maiore* 144 *defer* 164 *alemanni* 174 *malignae* XV, 25 *produxerat*.

in H: IV, 19 *tabula* V, 37 *in natalibus* VI, 157 *digitis* XIII, 38 *uehebant* XIV, 133 *festiui* XV, 24 *alius*.

in BV: VI, 521 *expleat* VIII, 104 *multis* XIV, 244

1) Hac in re quamquam mutationes eaedem ex vitio communis fontis ortae esse possunt, (quod accidisse puto I, 83 *animas* IV, 54 *ex aequore toto est* 78 *quorum hic* VI, 238 *discit* al.) tamen longius progredi quam cancellis nimis anxie coerceri malui.

esse VI, 120 *priapo* B 359 *domi* B 473 *uidetur* B IX, 54 *mentes* v XI, 72 *in matribus* v XIII, 58 *Sic* v XIV, 145 *et* B XV, 107 *nec paruul quaedam* v.

in M (sive m): II, 137 *obstat* 148 *seruat* III, 189 *pecunia* IV, 41 *maior* 60 *numquam* 68 *tempora* 101 *enim-intellegeret* V, 36 *biberunt* 38 *Apiarum*, 99 *proxima* 120 *fiat* 124 *gustus* VI, 20 *abiere* 21 *et* 28 *o postume* 87 *ludum* 96 *consistere* 106 *fesso* 109 *grauiter* 141 *diues* 143 *inspicias* 166 *amet* 207 *uertice* 423 *exagitare* 577 *si placet*.

Fere omnes haec mutationes¹⁾ librariis adscribendae sunt, quamobrem saepe a manu altera recte correctae sunt, plurimae eorum oscitantiae, paucae ut videtur, consilio.

Incuria manifesta ortum duxerunt nec maiore explanatione egent in L: III, 228, IV, 137, 141, VI, 44, 413, 449, VIII, 195 XII, 64, 107 (ex 106), XIV, 73, 229, XVI, 10, 38; in A: VII, 5 (ex 3 s. 6), 101, VIII, 246, IX, 47 (ex 44), 150, X, 199, XII, 99, XIII, 130, XV, 25 (ex 32); in H: XIII, 38, XIV, 133, XV, 24; in VB: VI, 521, VIII, 104, XIV, 244; VI, 359 (ex 357), 473, IX, 54, XI, 72 (ex 71), XIII, 58, XIV, 145; in M: IV, 41, 60, V, 36, 99, 124, VI, 87, 207²⁾, 423, 577 (ex 578).

VI, 408 in L *que* post *famam*, quo recepto versus claudicat, insertum videtur ad sententias conectendas, itemque VI, 198 *et dicas* et in A VIII, 89 *et miserere* legitur. Fortasse iam Nicaeus haec *et* addidit (cfr. infra), a quo et *tunicam* (VI, 446) profectum puto (cfr. infra). X, 198 *uerba* eadem causa ortum est, qua interpolator *labra* scripsit, ob antecedens *uoce* cfr. Ov. ex P. III, 1, 154 *uoce tremente loqui* Verg. Aen. IV, 460 *uoces et uerba uocantis* XII, 912 *uox et uerba* Hor. ep. I, 1, 34 *uerba et uoces*. Verum de I, 18, X, 189, 269 ambiguus haereo, grammaticone

1) De VI, 455 *sacra* IX, 82 *perfide auare* X, 359 *dolores* vd. postea.

2) *uertex capitis* apud Ov. fast. III, 841 sq.

an scribae attribuam, neque certum habeo, quod de causa mutationis proferam¹⁾.

In A XI, 93 *sibi* aperte ex glossa²⁾ in textum irrepsit, nec aliter *delata* (VI, 603) quod manus altera, ut in A addito *vel* sic in M sine *vel* superscripsit, explicandum est; itaque etiam XIII, 164 *alemanni* et 174 *malignae*³⁾ eidem causae adscribo. IX, 148 *uocatur*⁴⁾ fortasse iam a Nicaeo inductum est, cum etiam V, 63 *uocatus* pro *rogatus* ediderit; ab eodem originem accepisse V, 37 *in natalibus* in H veri non dissimile est. Sed IV, 19 *tabula* mihi scriba induxisse videtur commotus singulari *senis* nec non VI, 157 *digitis*⁵⁾.

In libri M lectionibus diutius vacillaremus, nisi compluribus locis manifesto apparet librarium glossam verbo germano permutasse. Nam IV, 68, 154, VI, 28 eadem verba (*tempora, unum, o*), quae in M in textum irrepserunt, in A glossae exstant ac similiter VI, 109 in A superscriptum invenitur *graue*, quod paululum mutatum in M genuinum verbum eiecit. Itaque non aberrabimus a recta via, si etiam III, 189, VI, 141, 143, 166 (ubi iam m. 1 corr.) eidem causae adscribemus, fortasse etiam V, 120 *fiat* quod glossemā verbis *ne-desit* superscriptum puto.

Sed VI, 20 *abiere*, cum etiam X, 160 *fugit in abit* mutatum sit, Nicaeo assignare malim. II, 148 *retia servat*

1) *oris et colli* Ov. met. II, 671 sq.; *caelumque tuenti* Ov. trist. II, 215 cfr. Verg. Aen. IV, 451. Quod XIV, 214 in I. legitur *uincit*, fortasse ex Ov. met. XV, 856 *sic pelea uincit achilles* natum est.

2) Sic legitur in A superscriptum *tibi* super VII, 41 *seruire* XI, 146 *Porriget* 179 *dabunt* et similiter saepe.

3) *fraus maligna* legitur in Aviani fabulis I, 11 (Bachrens PLM V p. 35).

4) *uocare deos* Ov. met. II, 578, VIII, 265, fast. IV, 423, VI, 299 *in stando Vesta uocatur* cfr. et Verg. Aen. XII, 677 *quo dura uocat fortuna*.

5) fortasse recordatus Ov. fast. IV, 658, ars III, 446.

originem duxit ex Verg. ecl. III, 75 *retia servo* et II, 137 *nubentibus obstat* ex Ov. met. III, 453 *amantibus obstat*. VI, 106 *fesso*¹⁾ mendum pennae videtur; scholion, ut fere semper, cum A concinens, praebet *inciso*. Sed quid ex V, 38 M faciam nescio, neque quod VI, 120 B exhibet *abscondente priapo*; num hoc natum est ex VI, 316 *ululante priapo*? XV, 107 *paruul* (*paruula*?) fortasse super *quaedam* steterat.

1) *lacerti lassi* Ov. her. XVIII, 87 — *fatigati* ibid. 83 *bracchia fessa* ibid. 161, trist. IV, 6, 32.

Quae restant — collationes reliquarum saturarum, disertatiunculae de natura recensiois interpolatae et de Iuvenalis florilegiis, specimen denique scholiorum ex codice Lugdunensi 82 desumptum — paucis abhinc diebus una cum his schedulis in libello, qui inscribitur 'Apparatus criticus ad Iuvenalem', prostabant Bonnæ apud M. Cohen et filium (Fr. Cohen).

Vita.

Carolus Hosius natus sum in oppido ,Neuwied ad Rh.⁴ anno huius saeculi LXVI, mensis Martii die XXI patre Clemente matre Antonia e gente Tueshaus, quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Cum me puero quattuor annorum parentes Hammoniam Guestfalorum transmigrassent, ibi primordiis litterarum imbutus gymnasii discipulus sum factus, unde vere anni LXXXIII maturitatis testimonio instructus academiam Mōnasteriensem adii studiis philologicis operam navaturus. Ubi postquam per annum moratus sum, Musarum sedem Friburgensem per aetatis sequentis menses frequentavi, qua relicta Bonnae in numerum civium academicorum receptus sum, inter quos adhuc numeror. Docuerunt me viri clarissimi Langen, Milehhoef, Stahl; Hense, de Holst, Riehl, Schmidt, Steup; Buecheler, Dove, R. Kekulé, Klein, Luebert, Neubauser, Nissen, Rein, Usener, Wiedemann, Witte, Wolff. In seminarium regium philologicum, cuius sodalis fui per bis sex menses, ut reciperer egregia Buecheleri, Luebberti, Useneri factum est benevolentia, seminario historico benigne me admisit Nissen; exercitationibus suis ut interesset epigraphicis et philologicis Buecheler, epigraphicis Klein, archaeologicis Milehhoef et Kekulé singulari comitate concesserunt. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, praecipue vero Buechelerum, Luebertum, Usenerum semper pientissima colam memoria. Deuique grato animo memoro Schaarschmidtii liberalitate mihi contigisse, ut bibliothecae regiae universitatis subsidiis amanuensis admissus uti possem liberrime.

Sententiae controversae.

I. Aeschyli Prom. v. 465 sic lege:

Ζεύγλαισι δουλεύοντα χειραΐσιν Θ' ὅπως

codd. κόμασιν Θ'.

II. Euripidis Hec. v. 827 Pr. ut spurium cicio.

III. In terminationibus adiectivorum, quae in oc
exeunt, nullam regulam Euripides in partibus melicis
sequitur; in dialogis iambicis non nisi metro iubente novas
clausulas inducit exceptis adiectivis in ιοc ειοc αιοc exe-
untibus, ubi nulla lex constitui potest.

IV. Male M. Schmidt in Hygini de Antiopa fabula
altera (VIII) verba in *Cithaeronem* — *nominavit* suo loco mo-
vit, efr. Eurip. fr. 206 N: κύουσα τίκτω ἠνίκ' ἠγόμην πάλιν.

V. Auctor Culicis v. 11 sq. initium carminum,
quae sub nomine Theognidis feruntur, imitatur.

VI. Italicus in Iliade latina tam auxie vestigia
Vergilii pressit, ut etiam duritias metricas non evitarit,
velut v. 966 (*sufferre*) *valet* producta syllaba altera ortum
est imitatione Vergiliani (Aen. II, 492) *sufferre valent*.

VII. Iliadis lat. v. 548 ex Verg. Aen. III, 291 sic
corrigere:

protinus aérias innuptae palladis arces

codd.: *armatas*. vide etiam Hom. II. VI, 297 ἐν πό-
λει ἄκρη.

VIII. Argumentum saturae sextae Iuvenalis prae-
cipue ex Senecae libro de matrimonio deprompsit efr. v.
28 et fr. 47 (Haase); 38 sq. et fr. 58; 136 sqq. et fr. 72;
150 sqq., 352 sqq. et fr. 48; 165 et fr. 56; 214 sq., 270
sqq. et fr. 49; 347 sq. et fr. 53; 460 et fr. 49; 508 sqq.
et fr. 52.


IX. In Ausonii Mosellae v. 387 propono:
aut unus tantum iusti sectator et aequi
codd.: *spectator*.

X. In Claudiani rapt. Pros. III, 60 sq. retinenda est scriptura codicis V: *ictus Fulminis*; cfr. Stat. silv. III, 3, 158; Iuv. XII, 17.

Nimis huius libri auctoritatem hic et alibi sprevit Ieep.

XI. Vincentii Bellovacensis flores Iuvenaliani ex membrana totius Iuvenalis, non ex florilegio sumpti sunt.

XII. Codicis Monacensis 6292 florilegium Persianum testimonio est saeculo IX exemplar recensione Sabini exstitisse non ita deformatum, ut Montepessulanum et Vaticanum.



LI 13.433

De Juvenalis codicum recensione int

Widener Library

005762956



3 2044 085 206 506